DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA MANE AGITANDA

IN SCHOLIS MEDICORVM CADOMENSIS ACADEMIÆ.

M. IOANNE LYOVLD DE MONLIEN, MEDICO ET PROFESSORE ORDINARIO, FACVLTATIS DECANO, MODERATORE.

Est ne spiritus præcipuum animæ instrumentum? 29

HOMO, Naturæ miraculum, rerum omnium centrum & regula, ad quem tanquam ad medium, & Polycleti regulam cætera referuntur: duplici constat substantiâ, corpore nempe, & animâ. His partibus familiare quoddam & accommodatum vinculum interponitur; aduersas toto genere Naturas concilians: expertem corporis cum corporeâ, immortalem cum caducâ, puram cum impurâ, diuinam cum terrenâ: spiritus nempe, vtriusque quasi particeps: est enim substantia quędam corporea, tenuissima, oculorum obtutum effugiens, caloris sedes & vehiculum, proximumque animæ instrumentum. Duplicem spiritum agnoscimus; insitum vnum, influentem alterum: ille Stoïcis ἑκτικὸς appellatus, ex puriori liquoris genitalis parte producitur; fibris ac partium staminibus implantatus naturales ipsarum actiones efficit. Hicque est perpetuus ignis, qui flammam non concipit; perpetuumque lumen, quod excitare & imitari conantur chymiæ arcana penitiùs indagantes. Influens ἐπίῤῥυτος dictus, natura semper mobilis, à membris principibus deriuatur: in hoc sita est totius fortitudinis fortitudo fortis, rem omnem subtilem vincens: hic cunctarum partium profundos recessus subintrans insito iungitur, & quasi eius ἐντελέχεια eundem perficit, blandè fouet, & quasi torpentem excitans in actum deducit.

SPIRITVS influens pro triplici caloris, omnia animæ munia obeuntis, περιφορὴ triplici distinguitur ordine: primus, qui naturalis dicitur, Lunæ respondet; secundus, qui vitalis, Soli; tertius denique, qui Astris fixis, animalis. Naturalis cæterorum basis est & fundamentum, omnium tamen crassior, nebulosior, & minùs elaboratus: focum habet & mineram in parte principe, hepate scilicet, primo αἱματώσεως artifice; vt enim παρεγχύματος ἰδιοσυγκρασία, vno & eodem calore, ex diuersis chylosi succi partibus, quatuor diuersas massæ sanguineæ partes generat; ita etiam spiritum naturalem producit, qui in spiritum vitalem conuersus, eundem fouet, reparat, & resarcit. Noli ergo viuo hepati funus ducere, & eius quasi defuncti exequias celebrare: noli ipsius perantiqui iura feudi iniustè tollere; quandiu enim natura supererit, tandiu illi cruentum erit in animali imperium; sanguinemque ex chymo conficiet, qui tum per venas mesaraicas, tum per multiplices lactearum ramos in ipsum fluet & effundetur.

COR, viscus calidissimum, Sol Microcosmi, vitalis facultatis origo, calidi natiui & viuifici nectaris fons vberrimus; in sinistro specu, tanquam officinâ & ἐργαστηρίῳ cudit & elaborat; ex spiritu naturali in dextro ventriculo, & aëre in rarâ fungosâque pulmonum substantiâ preparato. Spiritus vitalis à corde, tanquam radius à Sole cum sanguine purissimo affatim effluit, singulisque corporis partibus benigno lumine affulgens, earum calorem & vitalitatem conseruat. Tantæ est in animali necessitatis, vt si quæ pars (quantumuis magnas in Naturâ vires habeat) huius beneficio & calore blando destituta priuetur; hanc breui temporis spatio corrumpi necesse sit, vel saltem ipsa marcescente, eius functiones prorsus aboleri. Infœlix sine spiritus vitalis affluxu omnis symphonia, omniumque symphoniarum harmonia: hinc quippe earum torpor & segnities enascitur, hinc vasorum impuritas emergit, omniumque confusio promanat. Neque magis fausta fuerit destituta spiritu sanguinis distributio; illo enim orbata si destituatur sanguis facilè concrescens, κατὰ τὰς φλέβας ἀπολήψεις efficit, corporis refrigerationes, Syncopes Cardiacas, sępeque contractâ summâ corruptione & pernicie, veneni naturam induens, mortem repentinam & subitaneam efficit.

CEREBRVM, facultatum principum sedibus indistinctarum domicilium, sensus & motus origo existit: spiritus animales, ex spiritu vitali & aëre, tam in ventriculis, quàm in suâ substantiâ producit; non tam caloris, quo polleat, beneficio, quàm ingenitâ proprietate. Spiritus animalis sensum efficit, in eas corporis partes influens, quas sentire oportuit: quia verò frustra aliquid sentiri contingeret, quod immoto animante nec sequi, nec vitari posset; natura spiritus ad musculos, per spongiosam neruorum substantiam appellere voluit; vt cùm mouendi corporis vrgeret necessitas, statim & ad arbitrij nutum moueretur: neque illi patentiores ductus requirunt; ipsorum enim subtilitati nihil aut clausum aut obseratum esse potest, quandiu naturalis constitutio neruorum salua atque incolumis fuerit: si enim præter naturæ ordinem, aliquid in eorum substantiam irrepat, quod ita crassum sit, vt ab ipsis penetrari non possit; motus & sensus omnino abolentur: nobiliores spiritus sensuum perfectiorum operationibus reseruantur; qui pro varijs quibus vtuntur organis, varias & maximè discrepantes actiones edunt: quidquid verò in ipsis lucidius splendidiusve sensibus externis non inseruit, intus in cerebro maneus, principum facultatum instrumentum existit: quarum agendi modum & rationem si inquisieris, scias summum esse prudentiæ genus quędam æquo animo nescire velle, multaque in rerum naturâ reperiri, quæ latent animos temperatos, & illudunt curiosis.

NEQVE verò sola animalia spirituum beneficio gaudent, quibus vt instrumentis operationes suas exerceant: inest enim in vegetabilium seminibus spiritus, qui facit, vt ipsa fœcunda sint. Et certè, vnde quotannis Sole ad nos redeunte, tot arborum plantarumque germina pullulant? Vnde noua foliorum, florum, & fructuum generatio? Num solæ plantarum animæ tam miranda exequuntur, nullatenus; vt enim illę facultatibus ad actiones edendas vtuntur, sic facultates spiritibus. Hanc in plantarum & arborum familiâ spirituum potestatem luculenter ostendit succorum vel ex illis, vel ex earum fructibus expressorum ζύμωσις: maximè verò vini, quæ tanta est, tamque potens, vt sæpe fractis, quibus illi continentur vasis etiam fortioribus, cum impetu foras effundantur: idem in frumento comprobat cereuisia, quæ ipsa quoque ebullitione facta, spiritum in se volatilem nobis indigitat, quo caput & cerebrum impetente, multa symptomata vel κεφαλαλγικὰ, vel καταφορικὰ, vel παραφορικὰ, vel denique καταῤῥοικὰ suscitantur. Cùm itaque tantæ sint spirituum vires, vt ipsi quasi naturæ potestas esse videantur, sine quibus ne ad momentum quidem ipsa subsistere possit; cùm partes naturâ seiunctas arctissimo vinculo colligant, sintque omnis societatis vinculum, omnisque origo συμπαθείας; cùm omnia per omnia moueant; cùm omnis in Mundo species spiritibus agitata viuificetur; cùm omnia in Mundo vegetantia spiritu ministrentur; sitque tandem is omni animæ subiectus, iure & merito cum Mercurio ter magno asserimus:

Ergo *spiritus præcipuum animæ instrumentum.*



Proponebat IOANNES BAPTISTA CALLARD DE LA DVCQVERIE *Cadomensis, die 8. Febru. ab octaua ad merid.* A. R. S. H. M. DC. LXIIII.

CADOMI, Apud IOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.

... qui hectica febre laborat.